Morbio 8 (4)

1015. Como.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si venerabilibus locis deoque dicatis eiusque servitoribus nostrae serenitatis munus conferimus quo eorum religio sublimetur procul dubio credimus apud omnipotentem deum remunerari et nostrum imperium feliciter augeri. Decet enim et imperio nostro est incrementum deo retribuere et ei honorem impendere de his quae ipse dedit, qui gratis honorat et a quo omnis honor procedit. Honorem ergo sanctos ditemus loca sanctorum ut ipsos adiutores habeamus. Quocirca omnibus dei nostrisque fidelibus praesentibus et futuris notum esse volumus quod nos pro remedio animae nostrae et nostri imperii sublimitatis donamus atque concedimus sanctae Cumanae ecclesiae monasterii sancti Abundii siti non longe foris ab urbe cui praeest domnus ALBERICUS venerabilis episcopus omnem porcionem terrae Alberti Parmensis filiorumque eius scilicet Wiberti et Sigefredi quam hucusque habere visi sunt in Valtellina in loco ubi dicitur Talamona ut in alio aliquo loco in eadem valle quorum hereditas et proprietas fuit. Sed quia in nos offendentes contra nostrum imperium tractaverunt et periuri atque rei in nostram magestatem extiterunt iure atque legaliter omnia quae habuerunt ad nostram partem publice devenerunt. Merito quia sua omnia perdunt qui se ipsos gratis perdiderunt dum fidem debitam non servantes in nostra fidelitate minime permanserunt. Hoc dignum et iustum ac deo et nostris fidelibus placitum insuper legibus approbatum perspicientes libenter donamus atque concedimus iamdicto monasterio sancti Abundii quicquid habuerunt supramemorati periuri in praedicto loco Talamona aut alicubi in praenotata valle tam in montibus quam in planis in terris cultis et incultis in pascuis silvis vineis in servis quoque et in ancillis mansis masaritiis et cum omni redditu et fisco exibitione et functione omnibusque mobilibus sive inmobilibus et tandem cum omnibus quae adhuc dici vel nominari possunt de iamdicta pertinentia quae ad publicum solium possunt omnino integrum largimur atque a nostro iure et dominio in ius et dominium et proprietatem praefati cenobii transfundimus et delegamus sicut usque nunc praelibatis reis pertinere visa sunt. Eo videlicet ordine ut abbas qui nunc praeest omnesque sui successores qui ibidem pro tempore fuerint potestatem habeant praedicta omnia illorum quae sunt in iamdicta valle tenere possidere comutare vel quicquid voluerint facere ad laudem et honorem omnipotentis dei et sancti Abundii et comunem fratrum sustentationem et utilitatem ex nostra plenissima auctoritate. Iubentes quoque sancimus ut nostris vel futuris temporibus nullus dux marchio comes episcopus vicecomes nullaque magna vel parva persona cuiuscumque ordinis aut dignitatis nunc praefectum abbatem suosque successores de praefata omni pertinentia disvestire inquietare molestare vel aliquid minorare presumat. Sed liceat omnibus abbatibus ceterisque monachis illic pro tempore servituris quiete et pacifice tenere firmiterque habere remota contradictione. Si vero quod minime credimus contra huius nostri praecepti statuta quisquam temerarius violator extiterit componat auri purissimi libras centum medietatem nostrae parti et medietatem praefato abbati vel suis successoribus. Quod ut verius credatur ac firmius ab omnibus teneatur manu propria inferius corroborantes nostri nominis insepto caractere nostro sigillo iussimus fiat signari.

Signum domni Heinrici clarissimi atque invictissimi imperatoris semper augusti.

Heinricus Parmensis episcopus et cancellarius vice Euerardi episcopi et archicancellarii recognovit.

Data IIII. non. octub. anno dominicae incarnationis M.XV. indictione XIII. Regni vero domni Heinrici imperatoris augusti XIIII. imperii autem II. Actum Merseburg feliciter amen.

Ego Iohannes iudex autenticum huius exempli vidi et legi et sic in eo autentico a domno Henrico Romanorum imperatore emisso et eius sigillo sigilato continebatur sicut in isto legitur exemplo extra litteras plus minusve.

Ego Nigro iudex hoc exempli hautenticum vidi et legi et sic in eo continebatur ut in isto hoc exemplo extra plus minusve litteras.

Ego Guilizonus iudex autenticum huius exempli vidi et legi et sic in eo continebatur autentico a domno Henrico Romanorum imperatore emisso et eius sigillo sigilato continebatur sicut in isto hoc exemplo extra litteras plus minusve.

Ego Ospinellus iudex hoc exemplum ex autentico sigillato domni imperatoris Henrici sigillo exemplavi et sic in eo continebatur ut in isto hoc exemplo praeter litteras plus minusve.

Marbib 8 (4)

Priuilegiū exemplatū sc̄i abundii d reb: d talamona.

1025.

117

Donatio D. Henrici Impe-
ratoris de quibusdam bonis
in loco Talamone sub nom.
S. Abundij

Marbib VIII (4) Nr. 4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1763175103-11/fragment/page=0002